



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XV. Soluitur argumentum tertium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

ne. Et præterea non mirum si errare potuit; nam non consensere Legati Romani, ut Magdeburgenses dicunt: Papa autem non solum non consensit, sed etiam refutavit Francofordiense decretum, ut patet ex libri Adriani de imaginibus ad Carolum, ubi refutantur omnia mendacia illorum librorum Carolinorum.

## CAPVT XV.

*Soluitur argumentum tertium.*

**Q**UOD autem ex libris Caroli adferunt, in quibus præcipuum firmamentum causæ suæ constitutum. Dico eos libros neque esse Caroli, neque eiusmodi, quibus vlla fides haberi possit.

Quod Caroli non sint, probatur PRIMO, quia exstat liber Adriani Papæ I. ad Carolum, in quo libri isti accuratè refelluntur, ex quo Adriani libro perspicuè intelligitur libros istos ab aliquo hæretico compositos, & à Carolo ad Pontificem missos, ut eis responderet. Esse autem Adriani hunc librum, qui exstat in tertio tomo Conciliorum, cum aliudè, tum etiam ex Iuone intelligi potest; qui multa ex hoc libro nomine Adriani in 4. partem sui decreti transtulit.

SECUNDO, constat ex historiis Græcorum & Latinorum, ut Zonaræ & Cedreni in vita Leonis Isauri, necnon Pauli Diaconi in vita eiusdem, Romanos Pontifices, Gregorium III. Adrianum I. & Leonem III. defecisse à Græcis Imperatoribus, eos excommunicasse, vestigalia eis tribui ex Italia prohibuisse, seque in tutelam Francorum contulisse, atque in eos eandem imperium transtulisse, ea de causa præcipuè, quod Græci Imperatores hæresi Iconomachorum patrocinentur, cum è contrario Francorum Reges in fide antiqua constantes essent: Quomodo ergo verisimile est Carolum Imperatorem eadem hæresi laborasse, & pro errore Græcorum contra Romanum Pontificem scripsisse: Sed verba Zonaræ audiamus.

*Igitur, inquit, Papa Gregorius desert a Imperatoris obedientia ob peruersam illius opinionem, pacem cum Francis fecit, cum prius saepe dedisset operam, ut Leonem per literas ab odio Dei reuocaret, atq; ad cultum sacrarum imaginum reduceret. Et infra in vita Irenes: Adriano veteris Romæ Papa mor-*

*uo Leo suffectus est, vir reuerendus & honorabilis, qui cum se ad Carolum Francorum Regem contulisset, ab eo tempore Roma Franci potiti sunt, Carolo à Leone coronato, & Romanorum Imperatore appellato; nam Papa Gregorius nihil sibi rei esse voluit cum impiis Ecclesie Constantinopolitana gubernatoribus, & pacem cum Francis fecit.*

TERTIO, scribit Ionas Aurelianensis lib. I. de cultu imaginum (floruit autem Ionas tempore Ludouici Pij Caroli filij) Claudium Taurinensem eius hæresis patronum, toto tempore quo vixit Carolus, nunquam fuisse ausum mutire, idemq; ibidē, virum piissimum ac sanctæ memoriæ Carolum Augustum appellat. Si ergo Iconomachi, viuentē Carolo, non audebant hæresim suam prædicare; si defensores imaginum Carolum, vt pium, ac sanctum venerabantur, quanta impudentia est, libros contra imagines Carolo attribuere?

QUARTO, scribit Paulus Æmilius lib. 2. historiæ Francorum, necnon Regino in Chronico in Concilio quodam Gentiliaci coacto, Pipinum Regem Caroli Magni patrem, Græcorum errorē contra sacras imagines Imperatoris Græcilegatis præsentibus confutasse. Ex eodem quoque Paulo constat, non diu postea ad Concilium, quod Romæ Stephanus Papa celebravit, contra eundem Græcorum errorem misisse Carolum Magnum Episcopos duodecim, ex præcipuis regni. qua ergo audacia aduersarij Christianissimum Principem in Iconoclastam transformare nituntur? præsertim cum Paulo Æmilio in hac parte assentiantur Magdeburgenses, Cent. 8. cap. 9. col. 570.

QUINTO, constat ex historicis omnibus, & ex ipsius Caroli epistolis & carminibus, immò ex ipsis rebus gestis, Carolum & Adrianum semper coniunctissimos fuisse. Exstat adhuc Adriani epitaphium ab Imperatore Carolo nõ minus eleganter, quam piè descriptum apud Platinam, cuius hoc est initium:

*Hic pater Ecclesie Roma decus inclitus auctor,*

*Adrianus requiem Papa beatus habet.*

*Vir cui Vita, Deus: pietas, lex: gloria, Christus:*

*Pastor Apostolicus promptus ad omne bonum.*

Et infra:

*Post patrem Carolus lacrymans hæc carmina scripsit,*

*Tu mihi dulcis amor, te modo plango pater.*

PPPP 4

Tu

*Tu memor esto mei, sequitur te mens mea semper,  
Cum Christo teneas regna beata poli.*

Num credibile est igitur Carolum alterius religionis, ac fidei dei fuisse, quàm Adrianum? & in ipsum Adrianum tam acriter scripsisse, cum eum tantoperè coluerit, & post obitum laudariis

Denique certum est Carolum hominem Græcè & Latine peritum, prudentem, & ingeniosum fuisse, libri autem isti hominis barbari, imperiti, leuis, ac penè stulti esse videtur. Nam Constantinopolim urbem notissimam in Bithynia esse locum, cum nemo nesciat esse in Thracia, nisi fortè, quia frequenter ibi terremotus fiunt, solum mutauerit; deinde Concilium per cultu imaginum Constantinopoli celebratum asserit, cum tamen Nicææ celebratum nemo sit qui nesciat, nisi qui nihil legit. & quod grauius est, per calumniam & mendacium multa tribuunt isti libri Nicænis Patribus, quæ nunquam dixerunt, & interdum quæ aduersarij dixerant; quale est illud, quod Eucharistia sit imago corporis Christi; quod non solum Patres Nicæni non defendunt, ut iste auctor somniat, sed etiam ex professo refellunt. Unde accepit Caluinus alterius mendacij occasionem. Quia enim Iconomachi dixerant, vnam solam imaginem adorandam, id est, Eucharistiam, atque hoc dictum Pseudocarlus Nicæne Synodo attribuerat: Caluino placuit ita rem totam immutare, ac dicere: *Ceterum ne suo solenni, plaudite, fabula careat, additur clausula (nimirum à Concilio Nicæno) gaudeant, & exultent, qui Christi habentes imaginem, sacrificium illi offerunt*, quod est mendacium impudentissimum. Concilium enim Nicænum tantum abest, ut voluerit imaginibus sacrificium offerri, ut disertè in act. 7. declarauerit non veram latrariam, sed honorariam tantum adorationem imaginibus deferri.

Accedat P O S T R E M O, quod liber iste tanquam alter Melchisedech, est sine patre, sine matre, sine genealogia; prodit enim repentè in lucem, nec scitur quando, aut vbi, aut quomodo, aut à quo repertus; nec habet nomen auctoris, nec impressoris, nec loci, vbi impressus est. Quæ sunt omnia argumenta atque indicia fraudum.

Sed esto, sit liber Caroli Magni, quid tandem aduersarij obtinebunt? prorsus nihil. Auctor enim huius libri disertè oppugnat omnia ferè dogmata Caluinistarum; apertè enim docet

ad Romanum Pontificem pertinere vltimū iudicium de controuersis fidei, & eum non a Conciliis, sed à Deo ipso primatum habere; idem vult exorcismum adhiberi in Baptismo, templa dedicari certo ritu, orandum esse pro defunctis, Sanctos inuocandos, reliquias venerandas, Chrismatis, aquæ, salisque benedicti vsum in Ecclesia retinendum, in Eucharistia verè esse corpus Christi, idque adorandum, & tanquam verum ac proprium sacrificium offerendum, quæ sunt omnes exploratæ hæreses apud aduersarios. Si ergo volunt nos credere huic auctori, cum docet, Nicænam Synodum errasse, credant eidem ipsi, cum asserit tam multa, quæ iam enumerauimus.

Quòd si etiam constaret, Carolum ipsum hunc librum scripsisse, & in omnibus cum Calvinistis conuenire, quid haberent aliud, quàm testimonium vnius hominis laici & militis, quod opponere velle Concilio generali Episcoporum, stultitia est manifesta. Nā, vt rectè ait Damascenus orat. 2. de imaginibus: *Christus non commisit Ecclesiam Regibus, & Imperatoribus; sed Episcopis, & Pastoribus.*

CAPVT XVI.

*Soluitur argumentum quartum.*

**A**D QVARTVM argumentum ex testimoniis Patrum, ordine respondeamus. IRENAEVS lib. 1. cap. 24. nō arguit Carpocratem, quòd imaginem Christi haberet, sed quòd eam coleret eo modo quo Gentes colunt idola, nimirum sacrificiis, vt clariùs explicant Epiphanius hæres. 29. & Augustinus hæres. 7. & præterea quòd imaginem Christi, & Pauli eodē loco haberet, quo imagines Homeri, Pythagoræ, Platonis & Aristotelis. Epiphanius similiter hæres. 79. reprehendit Collyridianos, non quòd imaginem B. Virginis, & ipsam Virginem honorarent, sed quòd haberent pro Dea, ei que sacrificium offerrent.

Iam AMBROSIVS quando ait, oratione de obitu Theodosij: *Helena crucem inuenit, Regem adorauit, non lignum vti que, qui est error Gentilium, &c.* Vult dicere, crucem non adorari propter se, sed propter Christum qui in ea pependit. Licet enim ipsum lignum honoremus, non tamen honoramus, quia lignum est, sed quia Christum crucifixum representat.

PPPP 5

sentat.